

de dici-  
tur, & ra-  
tione ca-  
rens &c.

adeo fuit rude, adeo ab  
omni usu rationis alienum,  
ut pretiosus ille vir Lu-  
therus per miraculum de-  
buerit mitti in mundum,  
qui rationem nonnihil re-  
fufcitaret á letargo. Rur-  
sus autem etiam tam ad-  
mirabilis vir Lutherus de-  
cimo sexto seculo tam pa-  
rum potuit proficere at-  
que rationem juvare, ut  
seculo demum decimo se-  
ptimo per novum miracu-  
lum missus sit Hugo Gro-  
tius ad rationem velut de  
novo protrahendam ex se-  
pulcro. Et hic ipse tamen  
Grotius fuit ita infelix, ut  
Puffendorffius paulo post  
totum ejus laborem inve-  
nerit adeo morbidum, ut  
medicinæ nullus esse locus,  
nec emendari potuerit, sed  
debuerit ex toto refundi.  
Quam porro sinistro even-  
tu id ei successerit, agnovit  
demum nuper Heineccius,  
qui non dubitat in omnes  
anteceffores suos hanc  
promulgare sententiam:  
omnes, quotquot adhuc  
naturæ Jura, hoc est ipsam  
rationem, tradiderunt,  
Principiis usos fuisse ine-  
ptis, & omnia tenebris ve-

lut data opera involviffe.  
Hæc autem quæ hic dixi-  
mus non nostri cerebri  
figmenta sunt, sed ex ipsis  
his auctoribus descripsimus  
in *Larva detracta*. Vides  
denique lector prudens,  
quo tendant hæ novæ sem-  
per de regno rationis glo-  
riationes, quamque aliis  
novioribus semper ever-  
tantur priores, & quam in-  
ter se pugnancia isti ratio-  
nis proceres aut etiam re-  
ges sentiant: cum interim  
antiquitas ab ipsis derisui  
& ostentui habita ipsos nu-  
triat, licet ingratos.

108. Ceterum missis Dubita-  
etiam istis omnibus demus tur, an  
jam, hodiernorum indu- mercatus  
stria & ingenio præcipuo majores  
extensos auctosque merca- Rationem  
tus fuisse, in ancipiti ta- promo-  
men positum etiam nunc veant?  
est, profueritne rectæ ra-  
tioni hoc mercium incre-  
mentum. Germani vete- Veteres  
res nullos admifere merca- sapientes  
tus, nisi ut tantum prædas sine mer-  
ex hostibus redactas ven- catu.  
derent finitimis pro rebus  
sibi necessariis: exterarum  
deliciarum, vini, byssi, ni-  
hil intra suos fines rece-  
pere.

Europæi  
mercato-  
res Indis  
infames.

pere. Sine his mercatibus  
*bonus* in ipsis *sensus* & ad-  
*mirabilis sapientia* & natu-  
ralis honestas vigeat. D.  
Montesquæo teste. Quid  
vero nobis successit post  
totius orbis in Europam  
certatim delatas quisqui-  
lias? Primum Europæi  
omnes qui in Indiam pro-  
ficiscuntur commercandi  
causa, Indis habentur *infa-  
mes*. Deinde Omnes om-  
nino Europæi, etiam qui  
Indias non vident, ab In-  
dis habentur *mendici*: exi-  
stimant enim Indi, si Eu-  
ropa tantum redderet re-  
rum, quantum ad victum,  
vestitum & supellectilem  
incolarum necesse est, non  
futuros ita stultos Euro-  
pæos, ut res non necessa-  
rias ex locis omnibus lon-  
ginquis cum præsentissimo  
vitæ discrimine conquirant  
& emendicent. Sinenses  
præcipue Europæum ho-  
minem eo loco habent,  
quo apud Hispanos habe-  
bantur Burgundi, apud  
Gallos Sabaudi; nempe  
qui domi non habentes  
quod rodant, veniant se  
humiliaturi coram Sinensi-  
bus, & ex ipsorum super-

Sinensi-  
bus men-  
dici.

fluis quædam ad suos do-  
mum reportaturi. Vide  
jam, quanto nobis honori  
sit mercatus, & quam mi-  
serum sit illud gloriosum  
argumentum pro regno  
rationis ex mercimoniis  
ductum! Ac profecto ne  
dicas, Indos hac in re stul-  
tescere, Europæos rem  
melius intelligere, nonne  
vides apud ipsos Europæ  
populos, qui à rationis acu-  
mine laudantur, eundem  
esse sensum? Galli, Hispa-  
ni, Germani, Angli mer-  
catum exercere ignobile  
existimant & animi parum  
altum sapientis. Et tu  
speras eximiam & reginam  
rationem ex mercimonio  
probare?

Europæis  
mercatus  
est res  
ignobilis.

109. Sed jam & hoc Quis fru-  
ponamus, honori nobis stus pa-  
apud exteros esse tam avi- triæ ex  
de extensa mercimonia: multo  
considerandum tamen ma- mercatu?  
xime, si sapimus & ratio-  
nem sequimur, quem nô-  
bis fructum intra patriam  
illa gignant? Nemo, vel  
parum temporum gnarus  
dubitare potest, ex quo  
mercimionum quædam  
velut mania incessit Euro-  
pam,



Sane ma-  
lus.

pam, & exterorum cre-  
pundia cum auro sunt il-  
lata, vitium alterum alteri  
porrexisse manum, divitiæ  
illæ novæ locum fecere  
vanitati, vanitas superbiæ,  
superbia luxui, luxus pau-  
pertati, paupertas avari-  
tiæ, avaritia iniquitati, op-  
pressioni innocentum, cor-  
ruptioni judiciorum, &  
quotquot alia miseri ex-  
perimur mala: quæ etsi  
ponamus non esse majora  
pristinis, sunt certe magis  
disseminata & in omnem  
populum magis extensa,  
quam olim cum salem suum  
lingere aridumque panem  
cum aqua vesci magna gen-  
tium pars & nihil præterea  
luxus sciebat. Hæccine  
sunt ille prægrandis splen-  
dor regno rationis hodie-  
no ex multitudine merca-  
tuum accedens? hunc  
equidem splendorem Pro-  
serpina amet, non cœlestis  
diva Sapia.

### De Bello hodie & olim gerendo.

110. Bellum omne ma-  
gnum est malum.  
Sed cum malum etiam ne-

cessarium nobis corrupta  
natura facit, rationis est  
non vulgaris, ita hoc ma-  
lum administrare ac tem-  
perare, ut tanquam neces-  
sarium, hoc est, tanquam  
bonum haberi possit.

In veteribus hoc inve-  
nio rationis bonæ, libera  
lis atque magnanimæ, ut,  
ante quam ad arma veni-  
retur missis fecialibus res  
repetere: quibus nega-  
tis indictum bellum, &  
utrisque paratis ad dimi-  
cationem processum est.

Id quidem hodiernis  
simplex videtur & anile.  
Quæ enim stultitia, inqui-  
unt, hostem, quem supe-  
randum tibi sumpisti,  
prius armare adversus te-  
met ipsum, & efficere, ne  
vinci possit?

Verum non stulta sunt hodie  
omnia, quæ junioribus ta-  
lia videntur. Cum primis  
enim res est humanæ di-  
vinæque rationi certa, po-  
tius abhorrendum esse à  
bello, quam inclinandum  
ad illud animum esse. At  
is, qui in bellum non im-  
petu

Belli in-  
dictio  
olim ma-  
gnanima,omissa ar-  
guit ini-  
quitatem,

petu profilit, sed prius  
illa, quæ diximus agit, vi-  
detur à bello esse averfus  
& non nisi necessitate ad  
hoc permoveri. Plus igitur  
consentanea est ejus  
hæc mora rationi veræ ac  
bonæ.

fraudem,  
metum  
&c.

Deinde clancularia illa  
ad bellum progressio sapit  
aliquid fraudis, aliquid  
etiam timoris, aliquid dif-  
fidentia de Justitia rei suæ,  
sapit aliquid iniquitatis,  
cum vicinus, qui forte  
correcturus erat offensam  
& transactioni locum  
dedisset, in tanta mala con-  
jicitur subito eum aggre-  
diendo, quæ longe sunt  
majora debito. Rursus  
sapit hoc temeritatem &  
exiguam erga sibimet sub-  
jectos amorem, quorum  
sanguis & fortunæ in bel-  
lum impenduntur, cui mis-  
sis fecialibus poterat forte  
parci. Taceo cetera. Nec  
igitur magni animi nec  
magnæ rationis videtur ef-  
se si imparatos opprimas.  
Præterquam quod diffici-  
lior hoc modo reddatur  
pax. Qui enim subito bel-  
lo opprimitur, is ut amissa

Teme-  
ritatem,

recuperet omni studio  
contendit, ipsa irritatus  
indignitate, & ultima ex-  
periri statuit priusquam  
cum hoste tam ingeneroso  
amicitiam quærat.

III. Stratagemate au-  
tem consilia tegere, cœ-  
pto jam bello, aut oppor-  
tunitatem præ hoste capta-  
re aliaque id genus, & li-  
citurum est & antiquis haud  
incognitum: nec video  
quid hæc nostra ætas præ  
antiquis habeat ea in re  
præcipuum. Græci, Ro-  
mani, Barbari iisdem ac  
forte majoribus artibus  
gessere bella quam nostri.  
Historiæ id omnes loquun-  
tur, aliquot etiam Græco-  
rum libri de Stratagematis,  
ut Frontonis.

Strataga-  
mata  
olim nota

112. Duo sunt hodie  
belli decora, quibus  
prisci gentiles destituti fue-  
re, & quæ posteri paulatim  
magis magisque exco-  
luerunt. Primum quod  
vastationibus agrorum, in-  
cendiis, excidiis non ita  
sæve ut olim belletur. Al-  
terum, quod mancipia ac  
servitus cessarint, & mer-  
catus

Hodierni  
belli bo-  
na duo

L



ex Christiana doctrina fluxerunt; adeoque non contemnenda in gerenda republica.

catus corporum humanorum. Verum hæc ipsa non tam subtilis nostræ rationis inventa sunt, nec hodiernæ ætatis excogitata: Sed Christi salvatoris mitior doctrina & episcoporum, sacerdotum ac religiosorum hominum consilia, templorum quoque & aliorum sacrorum locorum religio mansuefecit ferocios animos, & ad pietatem tum naturæ humanæ tum fraternæ in Christo unitati debitam inflexit: adeo verum est, in Christiano dogmate contineri illam *sublimem sapientiam*, quam doctus Leibnitijs optavit in Jure gentium Christianarum regnare. *Prefat. ad Codicem Juris Gentium diplomaticum.*

Hodierni bellimala

113. Hæc autem ipsa lenitas alia atrocitate compensatur. Nimirum terribiles illæ omnis generis machinæ ad inferendam hominibus non simplicem necem sed inferni tormentis parem horrore esse possunt. In quibus hoc quoque non laudarent vete-

res, quod nullus in hac pugnandi ratione relinquatur virtuti locus. Eminus res geritur, glandeque parva fordidissimus quisque lixa dejicit fortissimum quemque herosa. Non defuit antiquitati jaculatorum ac fundibulariorum artifex turba tam certo ictu ferientium ut à quadringentis passibus meta tangeretur, quod hodie bombardata portatili nemo audeat. Sed in acie initia tantum pugna leviculæ huic turbæ ac velitari concessa fuerunt: Tum remoto hoc ludo serio res agi cœpta, ut, qua parte virtus plus posset, appareret. Adde quod, si quidquam in hoc valet ratio & ingenium, non nostræ ætati hoc debeat, sed multo anteriori & illi, quam nostri rudem, simplicem ac deliram dicunt. Pulveris enim pyrii atque scloporum non est nostra sed proavorum inventio.

Ne munimentorum quidem ex arte struendorum nostra prima est laus: Deditur & hæc majoribus, & riora

Vetere belli inventa hodiernis non deteriora

& pleraque munimenta non à nostris hodie sed à majoribus condita sunt. Nostri leviculas quasdam res adjunxerunt. Inventis autem facile est addere, cum invenire sit arduum. Arduum ergo omne nobis exhaustit majorum industria, nos ingrati fructu laboris eorum potimur & sapientiores illis nobis videmus atque ingeniosiores.

114. Militum porro in suos ordines distributio, exercitatio, aciei forma, cunei, receptuum modus ceteraque multa aut sumpta sunt ex antiquis, aut illis inferiora. Quam rem in Folardo qui Polybium gallice reddidit, & in Lipsio qui militiam Romanam illustravit, & in antiquitatum scriptoribus legendam uberius indicamus: nos enim jam piget in ista humani generis carnificina ultra morari.

### III.

#### De Mathematica.

115. **M**athematica Geometricam & Arithmetica potissimum complectitur. Utramque hodie in eximio flore esse solum stupidus negaverit. Utramque etiam eximie rationis esse opus & ad rationem in orbita certarum rerum dirigendam eximie valere non nisi experti agnoscunt. Quod tamen ipsum cum hodie satis multi alias docti non agnoscant, mox in hoc limine apparet non esse tantam hodie atque olim Mathematicæ existimationem.

Veteres Philosophi, Pythagoras, Plato totaque hujus amplissima schola existimabant, neminem esse posse Philosophum, quin esset Geometra: *Ageometer ne intrato.* Hodie vero quantus est eorum numerus, qui Philosophiæ se Magistros & doctores credunt, cum, quid Geometriæ vel nomen valeat, penitus ignorent?

L 2

116. Ad

Olim Philosophiæ præmissæ,

hodie sæpe ignoratæ.



nec ita  
æstimata  
ut olim.

116. Adhæc ipsimet etiam multum docti viri non tanto, (sic opinor) in honore mathemata habent, quanto veteres; nec tanta contentione in eadem incumbunt, nec forte tanta in illis detegunt. Quis hodie hecatombe sacrificat, hoc est centum victimis, quemadmodum Pythagoras ob unum Geometriæ problema à se inventum, quod *Magistrum mathescos* dicere hodie dum solent? Archimedes quidem ajunt figuris intentum non animadvertisse captam ab hoste Syracusarum urbem, nec admotum enses, dum latus hauriret. Et quis, obsecro, hodie similia invenit Euclidi, in cuius vitulo arant quotquot Geometriæ sacra adyta penitus subire laborant: quem edificere vix audent pauci, superare nemo.

Veteres  
mathe-  
matici  
sine adju-  
mentis.

117. Atque hæc quidem veteres effecere suo pte ingenio, viribus suis præeunte nemine, destituti iis subsidiis plurimis, quæ nos multitudine fortasse ipsa impediunt. Quemadmo-

dum enim si quis artifex to- hodierni tam officinam instrumen- cum ni- tis omnis generis niis. muis. opleverit, iis magis impeditur quam juvatur, cum nova velut arte ac novo capite opus sit ad singula vel de nomine appellanda; ita hodie tot ad eandem rem efficiendam instrumenta excogitantur & fiunt, ut musea & officinæ iis recondendis vix sufficiant, & scientia non levis habeatur ea omnia vel solum agnoscere. Neque his rebus mathesis augeatur; cum veteres absque his, & novi etiam artifices simplicibus usi organis, majora præstiterint. Copernicus non aliis quam à ligno dolatis usus est astrolabiis; nec multo aliis Tycho Brahe: At hi tamen vel sine perspicillis vitreis quanta viderunt in cælo, hypotheseon novarum uterque auctor, vel saltem resuscitator? Cum hodierni Quadrantibus æreis, tubis, speculis, oscillatoriis instructi, adhæc omni veterum scientia adiuti vix ac ne vix quidem huc provehantur, tametsi

metfi hodie plura instru-  
mentis forte quam ingenio  
debeantur.

fuit & est hodieque addere  
quædam nova.

Astrono-  
mia ho-  
die in-  
frusta,

opificum  
fortuna  
non do-  
ctorum

118. Non eo inficias, in cælestium corporum facie agnoscenda multum hodie profecisse vitra, combinatosque è vitris tubos, quibus planetæ quidam antea invisî aparuerunt, aliaque quædam ignota. Sed & hoc verum est, tubos illos non ingenio deberi doctorum, sed casui & curiositati opificum. Cum enim Batavus quidam opifex perspicilla duo convexum alterum qualibus utuntur presbyta, alterum concavum myopum utraque manu tenens versaret, varieque combinata stanti contrâ turri forte obtenderet, nova re attonitus hæsit; quippe galus æneus antiquo more turri præaltæ impositus prægrandis apparuit, qui absque vitris ob altitudinem videbatur admodum parvus. Ea res non ingenio sed fortuna oblata occasionem dedit telescopio Hollandico ob id dicto. Cui invento facile

119. Sed ne Arithmeti-  
cam penitus intactam re-  
linquam, considera mihi  
divinum illud inventum,  
quod in notis numerorum  
Arabicis latet. Singulæ  
notæ singulas quidem aut  
duas, aut tres & ita por-  
ro usque ad novem, uni-  
tates valet: verum eadem  
notæ valorem insuper  
alium ex loco fortiuntur,  
quem in serie plurium no-  
tarum obtinent. Nam-  
que nota ad legentis fini-  
stram posita semper decu-  
plum valet notæ dextero-  
ri. Ita in hac serie

e	d	c	b	a
3	3	3	3	3

ternarius *a* valet tres uni-  
tates simplices: ternarius  
*b* sinisterior valet decades.  
Ternarius *c* Centenarios  
sive decem decades. Et  
sic porro. Cuius rei com-  
moda, maxime quod *decim-  
mali* incremento proceda-  
tur fractionibus carente,  
non nisi longo Sermone  
explicari possunt. Et est  
L 3 hoc



hoc inventum peranti-  
quum. Et non unam sed  
mille hecatombas mere-  
tur.

IV.  
Artes Mechanicæ  
& Liberales.

Mechani-  
ca multa  
debentur  
casui &  
fortuna.

120. **H**æ quidem artes  
ad ingenii & ra-  
tionis cultum etiam spe-  
ctant; sed ita tamen ut in  
illis multum casui & fortu-  
nae debeatur quemadmo-  
dum paulo ante ostendi.  
Eaque fortuna magis solet  
esse propitia aut indoctis  
aut mediocriter doctis,  
quam subtiliter doctis, qui  
plerumque tantum in mi-  
rabilibus super se solent  
ambulare.

Ne porro sim prolixior,  
pauca per faturam enume-  
rabo veterum inventa se-  
culis illis, quæ nostris ho-  
die nasutis simplicia viden-  
tur & rudia.

Pictoria  
inventum  
pastorum.

121. **P**ictoria ars inven-  
tum sane vetus hominum  
pastorum id est rudium  
non mathematicorum esse

dicitur, qui ad solem pas-  
centes gregem observa-  
runt umbram oviculæ,  
eamque lituo in arena de-  
signarunt. Eaque ars pri-  
stinis illis temporibus ita  
fuit perfecta, ut Apelles,  
Zeuxes, Parrhasios totque  
aliis adhuc fama miretur.

Vidimus nuper erutas pro-  
pe Neapolim ex elegantis-  
simo amphitheatro <sup>veteres  
picturæ  
meliores.</sup>  
imagines multas &  
varias in cæmentis depic-  
tas, quæ non tantum ho-  
diernas arte superent, sed  
& Angeli & Raphaelis ma-  
nibus certent, quantum  
ego hujus artis intelligo.  
Sunt autem anni saltem  
mille ac quadringenti ex  
quo picturæ illæ sepultæ  
jacent sub sulphureis cine-  
ribus Vesuvii montis, qui  
amphitheatrum illud Tra-  
jani Cæsaris obruit. Quod  
fatum num hodiernæ in  
cæmento picturæ annis sal-  
tem decem essent tolera-  
turæ, vehementer dubito.  
Quid vero multis opus est  
argumentis ad compro-  
bandum id, quod arti-  
fices hodierni cum picto-  
riæ rei amatoribus univer-  
sis consententur? nempe op-  
timum

tinum illum jam pictorem  
esse, qui ex veteribus plus  
didicerit ac profecerit.

Statuaria  
vetus me-  
mor.

122. **S**tatuarum res utut  
hodie non mala veteris ta-  
men fastigium nondum at-  
tigit, & prototypa artis ex  
antiquitate sumuntur. Mi-  
raculi instar habetur, si quis  
hodiernus artifex etiam  
summus fractum è veteri si-  
gno forte crus ita reficit,  
ut coherere videatur.

Fusoria  
vetus me-  
mor.

123. **M**etalla fingendi  
five fusoria ars antiquorum  
præstitisse hodiernæ vide-  
tur cum operum audacia,  
tum solertia. Colossus Rho-  
dius, aliique minores Ro-  
mæ dein facti: Statua Mem-  
nonis ad radios orientis  
solis tinniens: ne dicam jam  
Salomonæ templi mira,  
hodie forte vix quisquam  
fabrorum incipiat. Pluri-  
ma, quæ è terra etiamnum  
effodiuntur vasa, idola,  
arma, lucernæ, supelle-  
ctilia ex auro, argento,  
aere, totidem sunt veteris  
artis monumenta, toti-  
demque argumenta admi-  
rationis nostræ.

Sculpto-

124. **S**culptores veterum

quales præ nostris fuerint, <sup>ria vetus  
melior</sup>  
indicant gemmæ innume-  
rabiles five excavato five  
anaglypho & extante ope-  
re factæ mollissime, & quæ  
totas acies ac prælia in gem-  
ma brevissima represen-  
tent: in quibus sane om-  
nium modernorum ars de-  
sperat.

125. **M**achinaria ars Machina-  
quam fuerit expedita an-  
tiquis & à tot organorum <sup>ria vetus  
melior.</sup>  
impedimentis libera, stu-  
pendæ magnitudinis atque  
molis opera indicant. Cum  
Fontana celeberrimus ar-  
chitectus maximi Pontifi-  
cis Sixti quinti obeliscum  
illum in area D. Petri Ro-  
mæ erigeret, quantus fuit  
per omnem Italiam tumultus?  
Pontificis decreto ac  
diris infernalibus urgebantur  
per Italiam omnes, ut  
conquirenti ad hoc mate-  
riem Fontanæ nemo resi-  
steret. Ex tota igitur Ita-  
lia & ex circumjectis pro-  
vinciis ille multo tempore  
contrahere æra, chalybem,  
rudentes, trabes. Tum  
opus aggressus equorum  
multitudinem præter ho-  
minum agmina machinis  
omnis



omnis generis hinc inde dispositis adhibuit. Ad rei miraculum concurrunt infinita multitudo: & Pontificis severissimi imperio decreta mors est quisquis emittere vocem auderet quamdiu procederet opus: ne vox emissâ quidquam turbaret. Campanis aliisque sigris gesta res est: quæ tota tamen cecidisset in irritum ob male captas mensuras, nisi una hominis ignoti vox jussisset aqua conpergi rudentes & laxari. Quantum tumultus arti noviori peperit unus lapis? At veteres illi (neque Ægyptios jam dico, sed solos Romanos) plurimum ejusmodi lapidum ex Ægypto deportationem adeo non pro re magna habuerunt, ut nemo scriptorum ejus ævi, qui res singulares Romæ describunt, de ullo apparatu mentionem faciat, ut videantur manibus solum & obviis vectibus omnia peregrisse multo felicius. Et tamen ibi non agebatur de lapide solum in altum erigendo, sed etiam de eo in Ægypto erecto ad solum

deponendo, quod est multo difficilius; deque eo imponendo in naves non admodum magnas; de transvehendo per mare; de exonerando, ac per urbis compita devchendo. Neque unus is erat in urbem lapis ex Ægypto deportatus sed plures.

Archimedis artes, quibus Syracusas propugnavit celebratiores sunt quam ut repeti hoc loco debeant. Tyrri Alexandrum mœnia oppugnantem, tametsi pervicacissimum juvenem, artibus prope fatigarunt. Uncis manibusque ferreis è marmo missis totas naves cum armatis in altum eductas subito dein impetu in fluctus præcipitarunt: quod nemo forte hodie audeat imitari. Machinas denique bellicas veterum necesse est non fuisse pueriles, qui ligno ac restibus tanta effecerunt, quanta hodie terribili ista ignis vi efficiuntur celerius quidem sed arte ingenioque minore. Vide mihi turres præaltas plurimum contignatio-

num,

num, adhæc armatis onustas, ambulare & ad mœnia se humiliora accedere. Quot machinis ad has promovendas uteretur Fontana?

Archite-  
ctonica  
vetus mo-  
rior.

126. *Architectonice* hodierna manifesto inferior est veteri. Ægypti superioris templa & palatia ab annis ter mille stant etiamnum integra, nili ubi Turcorum Arabumque violenta manus partem aliquam diruit. Romanæ Augustorum ædes starent etiamnum, & in vitis Neronis, Barbarorum & recentium Romanorum manibus magnam partem adhuc stant. Reliquias montis Palatini ex alto contemplatus mecum statui, Romanos aliis trecentis annis non suffecturos iis demoliendis, quamquam annui decembres & omnes æris injuriæ collaborent ad demolendum. Contra D. Petri Augustissima ædes in illorum comparatione nova, nescio an tantum ætatis ferret, etsi assiduo operarum labore ac multa impensa omnes etiam tessellæ paul-

lum infirmæ illico & quotidie resarciuntur. Certe tholus ille ingens nubes ferrens Sixti quinti Pontificis jussu excitatus ante annos sesquicentum rimas jam agit & sex vel octo gravibus catenis adhuc continetur. Symmetria quidem & columnarum intercolumniarumque ratio ac proportio tota est veterum. Moderno tempore quantum non defudarunt mathematicarum & artificum ingenia, Gallorum præcipue ac Itolorum, ut proposito à rege Ludovico XIV. præmio potirentur invento novo aliquo sive sexto columnarum ordine à veteribus diverso? Inventus est ordo Germanicus: sed discriminis adeo parum est, ut operæ pretium vix sit. Non vitupero modernorum studia neque contemno, sed veteres hic exhaustisse rem aio. Itali eo maxime in architectura excellere passim creduntur, quod ingeniis per sese bonis ante oculos versentur antiquorum ædificiorum etiam in rudibus adhuc admirabiles reliquiæ.

M

127. MU-



Musica  
vetus me-  
lior.

127. MUSICAM artem hodie præcipue quidam extollunt. Sed qui rem intelligunt, hoc est qui veterem ac novam ex æquo norunt, ii sciunt, hodiernam esse confusum quoddam & impurum chaos, & quotidie ad magis ridiculos cyrrhos ac vanitatem fanis auribus intolerabilem declinans. Hinc ex illa hodie cantillatione defultoria nec certis modis immorante oriuntur quidem aliqui animorum motus; sed vani, ac velut somniantium conatus. Animus acumine quodam exaltatus mox iterum dejicitur superveniente sono nihil tale habente; itaque perpetua demutatione non affectum non inclinationem ad quidpiam capit sed turbulentiâ dissipatur. Contra veterum cantibus legimus pro cantoris voluntate indutos hominibus affectus, quibus involvebantur ii etiam, qui obstinato ad non parendum animo accedebant.

Accedit, hodie cantorum voces quidem audiri,

verba autem vix intelligi; tum quod distrahantur ac torqueantur istis hiatibus syllabæ; tum quod interpellantibus instrumentis & vocibus aliis diversum sonantibus auris opprimuntur. Quomodo autem moveat animum ratione utentem vox non intellecta? Veteres aut una tantum voce cecinerunt, aut ubi chorus canebat plurimum, eodem sono omnes audiebantur, quem nostri unisonum dicunt. Utroque modo intelligi verba & in animum admitti poterunt. Præterquam quod tympanorum tubarum ac lituorum fragore jam templa contremiscunt & voces humanæ omnes penitus opprimuntur, ut res fit prope ridicula, si choragus inter tumultus hos barbaros faciat concinere delicatum puerum; velut si philomela cum rugiente certatim leonum, boum, & mulorum grege cantillaret.

Hinc etiam fit, ut musica hodierna semel aut bis audita statim desipiat atque

Musica  
hodierna  
repetita  
displicet

que novum quid circumspiciatur. Nam incondita hac cantus varietate animus ipse pervertitur ut insistere in uno habitu non diu possit; mirum enim quantum & musica in mores, & mores in musicam imperium tenent, & Plato mutata musica mutari rempublicam debere agnovit. Deinde signum id est, minus potentis hodie musicæ, minusque convenientis rationi; quia quæ rationi vere congruunt semper magis magisque rationi satisfaciunt animoque placeant. Cantus ille simplex Hermani contracti *Salve Regina*, in ecclesiis iterari solitus à psallentium choro, audientibus nunquam displicet, tametsi ab octingentis amplius annis audiatur fere quotidie, & una seu uniformi voce decantetur semper, cum eadem verba per musicam hodierni modi expressa cum instrumentis vix ter per vices audire sustineam. *Præfatio*, quam ajunt Missæ quotidie audita quotidie placet, quotidie movet, nisi forte, quod subinde

Musica  
vetus re-  
petita

evenit, rudat quis illam potius quam cantet. Hinc nemo hodie audeat hominem cantu agere in furias, aut furem tem mitigare, quod de veteribus quibusdam historiæ produnt.

128. Si nostra ætas excogitasset *Typographiam*, artem conficiendi *borologia*, æri incisas in charta exprimendi *imagines*, & id genus alia magni momenti, nullus fieret gloriatorum finis. Veteres tamen à vana hac gloriatione adeo fuerunt alieni, ut pleborumque istius modi auctorum ignorentur nomina. Et hoc quoque indicio est, hæc inventa non deberi doctis sed fere opificibus aut fortunæ. Nam docti si hæc excogitassent more suo nunquam cessassent gloriari, saltem si fuissent docti ejusdem farinae, cujus hodie sunt permulti.

Ars typorum, horologiorum, Callographia veterum sunt inventa non hodierna.

Jam fortasse nimium in hoc stadio decurrimus. Relinquendum enim est aliquid lectoris, si quem nanciscar, indagini, qui facile

M 2

le



le his plura atque meliora inueniet si mecum sentit; sin à me diuersa sentit ipse, hæc quoque nimia videbuntur.

Alexandri Tassoni cogitata de veteribus ac novis Scientiis & artibus.

129. Ceterum Alexander Tassonus vir eruditus iam superioris seculi initio in Libro Italico, cui titulus: *Pensieri diuersi*, sub finem integro libro comparat veterum ac modernorum inter se res. Quo iam non utor, cum non sit ad manum. Pancirolus quoque scripsit libros de *Rebus antiquis perditis* & quibusdam noviter inventis:

quem iterum edidit Salmuth. Polydori etiam Vergilii libri de *Rerum inventoribus* servire lectori ista amplius resciscere volenti possunt.

Mihi interim ex qua menti sponte occurrerunt, videor non incommode ostendisse id, quod in principio sermonis receperam, nimirum *Regnum rationis hodiernum, quod præ ceteris quidam extollunt; nihil admodum præcipuum habere præ antiquo, multo minus antiquitatem à junioribus mereri contemptum.*



## PARS IV.

### Hodiernos sic dictos FORTES SPIRITUS videri DEBILES.

Fortis spiritus vaga idea.

130. Hæc quoque una est illarum rerum, de quibus multus hodie solet fieri sermo, quæ tamen non solent definiri *quid sint?* Unde fit, ut *Fortis spiri-*

tus ideam sibi quisque pro lubidine sua fingat.

Hinc quidam eo delapsi Athei audent, ut *Atheum* proprie fortem spiritum esse dicant; quia is non ceteris

ra

ra tantum omnia sed etiam omnium summam, DEUM aut negat aut velut figmentum contemnit.

Item Epicurei.

Alii nescio quo pudore aut metu retenti DEUM quidem loquuntur ore velut otiosum inter mundi machinas spectatorem: de ceteris autem rebus nihil existimant, præsertim nihil quod alius invenerit, aut præceperit.

Quoniam autem fortem spiritum esse laudem sapit & videtur habere aliquid præcipuum, mirum videri non debet, si multi illi ciuntur ut hanc fortitudinem affectent. Omnis homo naturaliter scire desiderat: in scientia autem excellere velle, magni etiam animi ac laudis habetur majoris.

Tantoque plures ad hoc pelliciuntur, quando prior apparet facilitas illud fastigium obtinendi.

Facile est fieri fortem spiritum motum. Quid vero sit facilius quam nihil credere, arguere omnia? Stultorum

enim vel unus, proverbio derno- teste, plus una hora nerum; gaverit, quam decem sapientes toto anno probaverint. Igitur ad Fortis spiritus aucupandum honorem levissimi quique facillime advolant; acciditque illis, quod divinae literæ de Eva prima parente tradunt. Promissa est sciamæ scientia, nec qualiscunque sed deorum instar. Satis quidem illicii pro sciamæ, hoc est pro debili creatura. Verum si hac conditione promitteretur, ut longo labore, vigiliis, usu multo ea demum accederet, metuo ut Eva aurem tam facilem draconi adhibuisset. Verum unius pomi esu rem tantam posse comprehendere, hoc sane pervicit. Quid enim facilius quam manducare, & quidem manducare fructum pulcrum visu ac delectabilem? Et quid exoptatius, quam manducando adeo scientia fieri DEO similem, ut DEUS etiam contemptui esse possit, quem alii velut pueri terriculamentum pavescunt?

Sicut Evæ acquirere scientiam manducando.

M 3

Sed